



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

XCIX. Markgraf Otto vereignet dem Kloster Arndesee das Dorf Gentzin, am
18. März 1365.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55716)

promittimus vna cum omnibus nostris veris heredibus per presentes, predictam fratris nostri donacionem firmam ac ratam inuolabiliter obseruare, et ad maiorem dicti contractus euidenciam et euidens testimonium Sigilla nostra apud sigillum fratris nostri presentibus duximus hiis apponenda. Testes huius sunt dominus Conradus dictus de Buch prepositus in Sehufen, Dominus hinricus plebanus in Ofterborch, Dominus Olze plebanus in Brecke, henric dictus de Roffow, Buffo de Neynwinkel, Conradus de Roffow, famuli famosi, et alii plures fide digni. Datum Bretzeke, Anno domini Millesimo Tricentesimo Sexagesimo primo, In die Beati Thome apostoli Gloriosi.

XCIX. Markgraf Otto verzeignet dem Kloster Arendsee das Dorf Gensin, am 18. März 1365.

Nouerint Vniuersi tenorem presencium inspecturi, Quod nos Otto, dei gracia Brandenburgensis et Lufacie Marchio, Sacri Romani Imperii Archicamerarius, Comes palatinus Rheni et Bauarie dux, Ob honorem et reuerenciam omnipotentis dei, gloriose genitricis sue virginis marie et omnium sanctorum, necnon ob iugem seu perhennem magnificorum principum Marchionum Brandenburgensium predecessorum nostrorum pie recordacionis, nostri, heredum ac successorum nostrorum animarum memoriam Religiosis et deo dicatis virginibus, Priorisse totique conuentui sanctimonialium monasterii in Arnffe ordinis sancti Benedicti verdenfis diocesis, dedimus, donamus, iusto quoque proprietatis tytulo libere presentibus donamus proprietatem ville Ghentzin, cum Jure patronatus ecclesie ibidem, cum supremo et infimo iudicio, cum nouem frustis reddituum annuorum reddituum in eadem villa sitis, absque precaria nobis ibidem reseruata, cum pratis, pascuis, lignis, aquis, aquarum decurfibus, paludibus et cum omnibus Juribus, graciis, commodis et honoribus ad dictam villam ex debito vel ex Jure pertinentibus, sic quod dicta villa cum omnibus Juribus supradictis, quibus Strennuus vir fredericus de Garthowe fidelis noster dilectus ipsam a nobis in pheodum habuit et possedit, a quo dictam villam sua pecunia comparauit, ad predictas Priorissam totumque Conuentum monasterii in Arnffe predicti iusto proprietatis tytulo debeat perpetuis temporibus pertinere et sine impedimento quorumlibet percipere et perpetuo possidere, Renunciantes eciam pro nobis, heredibus et successoribus nostris omni Juri, Actioni et Impetitioni, quod vel que nobis in dicta villa competit aut competere poterit in futurum. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Presentibus Nobilibus viris Johanne domino in kotbus, Reynoldo de Strel, Strennuisque viris Petro de Bredowe, Martino de klintzendorp, militibus heinrico de Sculenborch et Guntzelino de Bertensfleue, cum ceteris pluribus fidedignis. Datum Soltwedel, Anno domini Millesimo CCC°. LX quinto, feria tertia post dominicam, qua cantatur Oculi.